



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 170. Historia de origine inquisitionis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

stabilitum fuit ex consilio Cardinalis Pe-
tri Gundiffalvi de Mendoza Hispalensis
Archiepiscopi, & auctoritate summi Pon-
tificis Sixti IV. firmatum. Inde vero ca-
pta Granata, aliisque Maurorum urbibus
illud in omnes hasce recens partes Regio-
nes extendebatur, atque hodiedum etiam
in Siciliae, & Sardiniae Regnis, in Indiis,
& generatim in omnibus Hispaniae Re-
gis Provinciis introductum viget, excepto
Neapolis Regno & Belgio, ubi omnes
toties repetiti instituendae Inquisitionis
conatus semper a populo ad seditionem
concitato, & nudum Inquisitionis nomen
abhorrente elusi fuere, prout evenisse le-
gimus sub Carolo V. Anno Salutis mille-
simo quingentesimo quinquagesimo, &
aliquot post annis regnante Philippo II.
Hispaniarum Rege. Haud injucundum
erit impraesentiarum paucis referre hujus
Inquisitionis originem, modumque, quo
exerceri solet in regionibus, ubi stabi-
lita est.

§. CLXX.

Historia de Origine Inquisitionis.

In primis Ecclesiae saeculis usque ad
Constantini Imperatoris conversionem
nonnisi excommunicationis poena haere-
tici coercebantur, nec aliud quam Epi-
scoporum tribunal tam ad dijudicandas
dogmatum causas, quam ad castigandos
illos,

Sæcul. XV. illos, qui pertinaciter errores de hæresi
A.C 1478. suspectos defendunt, stabilitum erat.
 Tractu autem temporis Imperatorum legibus sancitum, ut hæretici, qui Episcoporum judicio ut tales declarati fuere, capitali sententia plecterentur. Hæc consuetudo usque ad duodecimum sæculum obtinuit: cum vero hæreses indies augerentur, ac hæreticorum potentia nimium excresceret, Ecclesia non pauca, quibus haud amplius remedii locus erat, tolerare dura necessitate compellebatur, atque hoc unicum Episcopi ac præcipue summi Pontifices reliquum habebant, ut Verbi divini Præcones, atque Legatos Apostolicos mitterent, qui hæreticos ac nominatim Albigenses Occitaniam acerbis tumultibus devastantes ad sinum Ecclesiæ reducerent, idque Innocentium III. fecisse reperimus. Anno demum millesimo ducentesimo vigesimo nono Cardinalis Romanus S. Angeli, qui Gregorii IX. Pontificis Legatus erat, Tolosæ Concilium celebravit, in quo sexdecim condidit decreta, de mediis in hæreticos inquirendi atque animadvertendi. Hæc videtur esse certa Epochæ, a qua initium inquisitionis ad leges justas instructæ petendum est, quæ tum plerumque ab Episcopis tanquam propriis doctrinæ iudicibus dependebat.

Cum

Cum vero Gregorius Papa fidei Zelo Sæcul. XV.
A.C. 1478.
accensus, Episcopus nec tanta, ut optaverat, severitate hæreticorum audaciam comprimere perspiceret, Inquisitionis tribunal tertio post anno ad solos S. Domini Religiosos devolvit: Hi, ne nimia, de qua Episcopi postulabantur, indulgentia excederent, in oppositum vitium degenerabant, ac tam rigide officii sui munia explebant, ut Comes, ac populus Tolosanus Inquisitores unacum ceteris FF. Prædicatoribus urbe expellerent, quamvis ipse Episcopus nomine Raymundus laudati Ordinis Religiosus eisdem potenti patrocinio suffragaretur. Nihilominus post aliquot annos Dominicanis Tolosam revocatis in officii societatem adjiciebatur quidam ex Ordine FF. Minorum Vir scientiæ laude clarissimus. Hic sua prudentia immoderatoris Zeli ardorem temperabat. Nec tamen sua etiam lenitate impetrare poterat, quin Inquisitionis statuta nonnullis nimium severa viderentur, nec unquam illa Gallis probabantur. Imperator tamen Fridericus II. Anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto receptis in fidem suam Inquisitoribus severissimam adversus Hæreticos legem condidit, qua de hæresi accusatos examinari, obstinatos ad rogam, sectam vero abjurantes ad

U u 3

per-

Sæcul. XV. perpetuos carceres per profanos Judices
 A.C. 1478. damnari præcepit.

Cum vero exiguo post tempore Imperator adversus Innocentium IV. Pontificem, a quo in concilio Lugdunensi exautoratus est, novas dissensiones haberet, ejus edictum effectui datum non est, & sub horum dissidiorum auspiciis hæresis tam ampla sumpsit incrementa, ut semper spiritualis gladii acies adversus hæresum Sectatores hebescere videretur, donec tandem Cæsar Anno Salvatoris millesimo ducentesimo quinquagesimo rebus humanis ereptus esset. Eo defuncto Innocentius Papa in Italia, ubi major auctoritatis suæ habebatur ratio, Anno supra millesimum ducentesimo quinquagesimo primo Inquisitionis tribunal erexit, illiusque administrationem Dominicanis ac FF. Minoribus concedidit, adscitis etiam Episcopis; cum hi legitimi essent iudices, qui de crimine hæresis cognoscerent. Præter hos etiam a Magistratibus nominabantur Assesores, qui in reos poenis a lege statutis animadverterent. Inquisitio hoc modo per Pontificem instructa in potissimis Italiæ regionibus invaluit, illiusque jurisdictio *Sacrum Officium* appellari consuevit; quod idem est, ac jurisdictio ecclesiastica in summi Pontificis ditionibus, necnon in Hispaniæ, & Lusitaniæ Regnis stabilita, qua